

posse quempiam sine gravi peccato laborare, modo duas horas non attingat. Communis sententia, & hodie usu jam recepta, excusat a peccato lethali, qui duas horas laborando non excedunt. Ita Roncaglia, Mazzotta, & alii multum antiqui, tum recentiores. Quod autem de laborantibus dictum est, intellectum volumus de dominis, qui cogunt famulos die festo operari.

15. *Quæst. ultima.* An qui peccat die festo; peccet contra præceptum sanctificandi festum? Affirmant aliqui TT. cum S. Antonino, Bonav. & aliis quia peccatum omne opponitur Divino cultui, qui est finis præcepti. Negat tamen communior sententia, quia peccata non sunt proprie opera servilia, sed solum mystice, ut ait D. Thomas in c. 3. Lucæ. Nec obstat, quod S. Doctor ait 2. 2. q. 122. a. 4. *Magis contra hoc præceptum agit qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus facit.* Nam hoc intelligit de fine præcepti, non autem de præcepti obligatione; finis autem præcepti non cadit sub præceptum, ut alibi diximus ex eodem D. Th.

## CAPUT II.

### *Quenam opera in die festo præcipiantur.*

16. R. 1. Hoc præceptum sub mortali obligat ad audiendum Sacrum. Ita omnes TT. & ab Innoc. XI. damnata est propositio 52. dicens: *præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, & si absit contemptus.* Et quidem obligat omnes baptizatos, usum rationis ha-

bentes; non autem infantes; perpetuo amentes; nec catechumenos. Ratio 1. partis est quia est univèrsale. Ratio 2. quia non possunt humano modo assistere. Ratio 3. quia non sunt Ecclesiæ subjecti. R. 2. obligat etiam hoc præceptum aliis Religionis operibus vacare, v. g. adesse concioni, catechesi; Vespèris, Officio Divino: constat ex Catechismo R. qui ait, *diem Sabbati* (hoc est festi) *diem religiosum esse, divinisque actionibus & sanctis rerum officiis consecratum.* Atque eodem modo loquuntur SS. PP. præsertim Greg. lib. 11. ep. 3. Et S. Antoninus p. 2. tit. 9. c. 7. ait: *debet ergo die festo insisteri operibus spiritualibus orationis, meditationis, auditionis Divinorum, lectionis, & eleemosynæ;* addens, abstinere a servilibus, & Missæ auditionem esse præceptum obligans sub mortali; non vero cetera: quamvis veniale sit Deo non vacare pro majori parte diei festi, si legitima causa non obstet.

17. Hinc non est obligatio gravis adesse concioni, & catechesi, quantum est ex vi præcepti sanctificationis festi. Potest autem aliunde quis obligari, & re ipsa sæpe obligantur tum pueri, tum rustici, & alii, qui ignorant ea, quæ necessaria sunt ad salutem, nec instrui commode possunt, nisi catechesi, aut sacris concionibus intersint. Jam vero sit —

18. *Quæst. 2.* Quomodo implendum est præceptum audiendi Sacrum? R. 1. requiritur ut Missa audiatur integra. Hinc graviter peccat, qui non adest tempore consecrationis, licet reliquam Missam audiat, quia illa est pars essen-

tialis sacrificii; & licet sit levis quoad tempus, est tamen pars substantialis, & qui ei non ad-sunt, dici non possunt audivisse Missam. Idem dicendum est de communione Sacerdotis, quæ vel pertinet ad essentiam sacrificii, vel ad ejus complementum substantiale. Peccant quoque lethali-ter qui omittunt partem Missæ notabilem. Unde c. *omnes fideles de consec. dist. 1.* dicitur: *qui autem non perseverant in oratione usque dum Missa peragatur... convenit, communione privari.*

19. Quænam autem dicenda sit pars notabilis, cujus omissio sit gravè peccatum, non convenit inter DD. Verum ex communi sententia grave peccatum est omittere initium Missæ usque ad epistolam inclusive; atque ita sentiunt Suarez, Azor, Sotus, Salmanticenses, & alii multi, licet non pauci velint solum peccare venialiter, qui omissa epistola Missam audiat ab initio Evangelii usque ad ultimum Evangelium, quæ sententia non caret probabilitate, præsertim cum, Isidoro teste, olim Missa inciperet ab offertorio. Pariter inquit multi, reum non fore gravis culpæ, qui omitteret omnia post summationem. Qui autem Sacrum integrum audire non potuit, tenetur partem audire, quam potest, tum quia ut ait Tournely continuator, Missa se habet instar Divini Officii, quod recitari debet saltem ex parte, si nequeat integrum; tum quia audiri debet pars notabilis Cæremoniæ ab Ecclesia præceptæ, ut ait Zachar. lib. 3. p. 4. in Supplem.

20. Requiritur 2. ut Missa audiatur una, eademque ab eodem Sacerdote. Hinc qui duas

simul audit Missas dimidiatas a duobus Sacerdotibus, peccat graviter contra hoc præceptum. Constat ex damnata propositione 53. ab Innoc. XI. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui ejus duas partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.* Quid vero si eas audiat successive? eum, nisi justa causa ex-cuset, venialiter peccare certum est, imo & mortaliter juxta probabiliorem sententiam Suarii, Tournely, Tamburini, Lugo, & Azorij, quia Ecclesia præscribit assistere Missæ, quæ sit unum Sacrificium, duæ autem partes Missæ, a diversis Sacerdotibus celebratæ non possunt in unum moraliter coalescere, ut faciant unum, atque idem Sacrificium; sed erunt duo Sacrificia imperfecta. Nihilominus contraria sententia non caret fundamento, quando quis audiat v. g. unam Missam ab uno Sacerdote usque ad consecrationem exclusive, ab alio vero a consecratione usque ad finem.

21. Requiritur 3. intentio audiendi Missam, tanquam actionem aliquam sacram, & religiosam: hinc qui ex mera curiositate spectandi sacro interesset, non faceret actum religiosum, neque præceptum impletet. Requiritur præterea mentis attentio saltem virtualis, & confusa, ut aliquo modo animadvertat, quid fiat. Nec satis est attentio externa, sed ex communi opinione opus est attentione interna; licet enim Ecclesia directe non præcipiat actus internos, præcipit indirecte, in quantum actio interna necessaria est, ut præceptum morali, & humano more impleatur. Multi tamen conten-

dunt sufficere externam, & moralem præsentiam cum generali intentione colendi Deum; illud tamen videtur securum sufficere attentionem virtualement, ita ut initio habeat voluntatem attendendi, & postea non mutet, nec voluntarie a Missa distrahatur.

22. Requiritur certe præsentia moralis, & humana; hinc præcepto non satisfacit, qui tempore Sacri dormit, vel fabulatur, ita ut si id faciat magna parte Missæ peccet mortaliter, & teneatur aliam Missam audire; erit autem venialis culpa, si confabulatio sit per breve tempus. Nec satisfacit, qui eo tempore confitetur, ut tenet communis sententia, quia actio confitendi multum distrahit ab auditione Sacri, & impedit assistentiam moralem. Quam tamen non impedit lectio Divini officii; ideoque recitans horas Canonicas tempore Missæ, non modo præceptum implet audiendi sacri, sed etiam recitandi officium, si ad illud ex munere suo obligetur. Ita communis sententia cum Suarez, Sporer, Elbel; quia duobus præceptis potest simul satisfieri, nec alterum impedit attentionem tum externam, tum internam.

23. Huic præcepto etiam satisfacit, qui Missam audit in choro post altare, vel per fenestram, quæ respicit altare; imo & post parietem, aut columnam templi, etsi non videatur Sacerdos, dummodo assistens uniatur aliis audientibus, & sit moraliter præsens. Addunt aliqui, Missam audiri posse ex janua templi, vel loco ipsi vicino, si junctus sit multitudini protensæ usque ad altare. An autem possit au-

diri ab eo, qui e domo sua, interjecta via, respicit altare? Affirmant Lugo, Sporer, & alii, modo parva sit distantia, ut moraliter præsens dici possit. Idem dicunt de musicis, Organædis, & aliis, si dum canunt, vel pulsant instrumenta, simul ad Missam attendunt. Multo magis id asserendum de præparantibus ea, quæ Missæ inseruiunt, & de colligentibus eleemosynas, nisi sint in Ecclesia magna, ubi magna sit distractio, nec possit ad Missam attendere.

24. Quæst. 3. Quo in loco sacrum sit audiendum? R. quocumque in loco Missa audiat, præcepto fit satis, modo non sit in loco ab Ecclesia prohibito. Hinc nulla est obligatio audiendi Missam in propria parochia. Licet enim id antiquo jure sit præceptum, ei derogatum est per consuetudinem, & jura Regularium, Tridentinum autem Sess. 22. c. 7. tantum dicit, populum debere moneri, ut frequenter adeat Parochias, præsertim Dominicis diebus, & festis; sed nullam ei obligationem imponit; idque aperte constat ex decreto Clem. VIII. & ex declaratione Cardinalium, quam affert Lugo, qui diserte asseruerunt, non posse Episcopos, multis & pœnis cogere ad audiendam Missam, vel concionem in propria parochia. Peccarent tamen fideles, qui ex contemptu Parochi Missam extra Parochiam audiret.

25. Quod attinet ad privata Sacella, vel Oratoria, audientes in eis Missam, non satisfaciunt præcepto, nisi qui in indulto comprehenduntur. Ita communis sententia contra paucos alios; & patet ex ipsis indulti verbis: *volu-*

mus, ut qui non sunt de familia non censeantur liberi ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia. Quæ verba satis indicant prohibitionem adimplendi præceptum in sacello privato. Circa alias difficultates, ad privata Oratoria pertinentes, attendenda sunt verba privilegii, & communis praxis. Vide Auctorem late hoc loco de hoc argumento tractantem.

26. *Quest. 4.* Quænam excusent ab auditione sacri? R. impotentia physica, vel moralis, dum quis sine gravi incommodo, vel proprio, vel alieno nequit sacrificio interesse. Ecclesia enim, iustar piæ Matris, non vult filios cum magno ipsorum detrimento obligare. Hinc primo excusantur infirmi, vel qui ex infirmitate recens egredi domo nequeunt sine periculo recidendi. Quid vero si hi privilegium habeant Oratorii? Eos non teneri, Sacerdotem conducere, ut Missam audiant, docent La-Croix, Salmant. & est communis sententia TT. Quod si Missa dicatur gratis, vel facile gratis haberi possit, nihilominus eos ab omni obligatione liberant Suarez, Filiucius, Salmant. & multi alii; quia nemo tenetur uti privilegio, alias onus esset, non favor. Sed repugnant Lugo, Tamburinus, Tournely, & alii, quorum est ratio, quia licet nemo teneatur uti privilegio suo, tenetur tamen præcepto Ecclesiæ satisfacere, dum potest sine gravi incommodo. Imo censeo cum Tournelyo, debere ad id finis, modicum, si possit stipendium solvere; quia quisque tenetur, leve pati incommodum, ut præceptum adimpleat. Præter infirmos excusantur, qui sunt in carcere, vel

navigatione, ubi non celebratur. Item excommunicati, & interdicti, nisi facile possint absolutionem impetrare.

27. A Missa audienda excusat quoque charitas proximi; unde qui nequit audire, quin relinquat infirmum, cui assistere oportet, non tenetur. Item cui periculum est gravis offensionis mariti, vel domini, vel parentis. Excusantur etiam mulieres, carentes vestibus suo statui convenientibus, puellæ quoque ex occulta fornicatione prægnantes; verum si commode possint adesse Sacro, aut valde mane, aut in remota Ecclesia sine ruboris periculo, ad id tenentur. Si quæ sciret, se domo egredientem fore alteri occasionem peccati, non tenetur prodire. An vero teneatur Missam omittere puella, quæ scit ab alio turpiter concupisci? non convenit inter DD. Probabilius censeo cum Layman, eam debere, semel, & iterum, atque etiam ter Missam omittere; quia præceptum naturale de vitando scandalo alterius præferendum est positivo de audiendo sacro. Sed quia charitas non obligat cum gravi incommodo, non tenetur puella sæpe a Missa abstinere.

28. Si gravis sit difficultas eundi ad Ecclesiam ob magnam distantiam, maxime si via sit molesta, cælum pluvium, cet. excusatur quis a sacri auditione. In quo habenda est ratio personarum, loci, temporis, & consuetudinis. Quæ ratio consuetudinis excusat alicubi feminas domo egredi tempore luctus, atque etiam proxime post partum. Notandum est denique, a missionem lucri, si gravis sit, excusare ab auditione Sacri

secundum sententiam communionem; quod præsertim locum habet in paupere, qui nequeat Sacro interesse, nisi cum gravi incommodo.

### CAPUT III.

#### De quarto præcepto.

*Honora Patrem tuum, & matrem tuam,*  
cet. Ex 20.

29. Parentum nomine in hoc Decalogi præcepto comprehenduntur. 1. parentes, qui nos secundum carnem genuerunt. 2. Superiores, spiritualem potestatem habentes, ut sunt Episcopi, & Parochi. 3. potestatem sæcularem habentes, ut Reges, Principes, Duces, domini. Denique alii omnes, qui aliquam in nos a jure exercent potestatem, ut Tutores, Curatores, Magistri, & alii hujusmodi. Ita animadvertunt Doctores omnes ex Conc. Coloniensi. Quod ergo de parentibus dictum erit, de ceteris suo modo intelligendum erit.

30. *Quæst. 1.* Quænam est filiorum obligatio erga parentes suos? R. tria filii parentibus exhibere tenentur, scilicet amorem, obedientiam, & reverentiam. Ac primo quidem filii debent patrem, & matrem diligere amore interno, & quidem præ omnibus aliis, cum sint illis conjunctiores, & ab illis vitam acceperint. Hinc dicitur 3. Eccl. *In toto corde tuo honora Patrem tuum, & gemitum matris tuæ ne obliviscaris.* Ita Parentes odio interno prosequi, aut grave ma-

lum eis optare, non solum est grave peccatum, sed specialem contrahit malitiam, in confessione explicandam. Præter amorem internum debetur parentibus amor externus. Itaque graviter peccat filius, si odii signa illis exhibeat; si torvo oculo frequenter intueatur, & aspere alloquatur; si non subveniat in gravi necessitate spirituali, vel corporali; si negligat preces, & sacrificia pro eis offerre; si non impleat eorum testamenta, & legata, modo sit hæres; denique si mortem illis, vel aliud grave malum exoptet.

31. Secundo loco debent filii parentibus reverentiam, ut satis exprimitur illis. Ex verbis: *honora.* Et Eccl. 3. *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.* Probat autem D. Thomas ex eo, quod participant rationem principii, cum propter generationem, tum propter educationem, & repræsentent dignitatem Dei, qui Pater est omnium. Unde peccat graviter filius, si percutiat etiam leviter Parentes, aut manum ad percutiendum deliberate attollat; in quo, ut recte advertit Sporer, duplex esset peccatum, contra justitiam, & contra pietatem. II. Si graviter eos contristet, etiamsi verba non sint graviter contumeliosa. III. Si contumeliis, maledictis, aut conviciis eos afficiat. IV. Si parentes pauperes despiciat, aut nolit eos agnoscere, quamquam si ex juxta causa exterius dissimulet sine contemptu, peccati gravis non est damnandus. V. si in foro externo filius etiam de vero crimine parentes accuset; extra crimen hæresis, prodicionis, vel conjurationis, cum non sit alius corrigendi mo-